



**Judicium Grave à Domo Dei, Omnibus Templorum,
Processionum, Et Qvorumvis Sacrorum, Dum Irreverenter
& Impie Divinis assistunt, Dehonestatoribus formidandum**

Pragae, 1670

Caput VII. Hæresis, eversio Templorum, & Sacrorum, sunt effectus hujus
Irreligiositatis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54878)

CAPUT VII.

Hæresis, everfio Templorum, & Sacrorum, sunt effectus huius Irreligiofitatis.

GRaviffimam pœnarum omnium, quas Deus in hac vita immittere mortalibus potest & folet, eſſe hæreſis permiſſionem, jam pridem revelavit Deus S. Brigittæ, quia hanc colluvies omnium ſcelerum, ac tandem æterna conſequitur damnatio. Auſim autem dicere, nunquam hanc à Deo imitti ſolere, ſive generatim in totas Provincias, ſive ſigillatim in particulares perſonas, quin præceſſerit priùs Sacrorum vilipenſio, cultùs Divini neglectus, & Religioſitatis erga Tempſa, Euchariſtiam, aliâque Sacramenta defectus. Indicavit id patientiſſimis verbis Apoſtolus ad Rom. c. 1. enarrans abominandiſſimas fœditates, Sodomias, & Idololatrias ſapientiffimorum alioqui virorum in gentibus, quorum originem primam & radicem dum inquit, non aliam reperire ſe oſtendit, quàm in Deo colendo, ac devenerando neglectum & vecordiam. *Quia cum cognoviſſent, inquit, Deum, non ſicut Deum gloriſicaverunt; & ideo obſcuratum eſt inſipiens*

piens cor eorum, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, non magis eum in veneratione habendo, quam hominem corruptibilem. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, sic tradidit illos Deus in reprobū sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, &c. Experta id est infelix Boëmia nostra, in qua Templorum nitorem, elegantiam, & magnificentiam describens, Æneas Sylvius, in tota Europa nihil simile eâ tempestate repertum fuisse testatur, sive Majestatem, sive divitias, sive aureorum, argenteorumque vasorum in usus sacros destinatorum pretia consideres. Quæ tamen pleraque, quotquot videlicet amplitudine & Majestate aliis præminebant, tartareo quodam ipsorummet incolarum, paulò antè Catholicorum, furore & manibus, in busta & cineres redacta, miserabilem hodiè que ruinam ostentant. Et quam putas insanissimæ hujus hæresis, omnia simul scelera in Regnum invahentis, fuisse originem? Qui historiam eorum temporum scripserunt, satis declarant eam ortum traxisse à vilipensione Sa-

cro.

rorum, & Divinorum inhonoratione. Rex enim ipse primùm sacra & profana perinde habens, nullum inter utraque discrimen faciebat: quin & subditorum in personas & loca sacra injurias intelligens, dissimulabat. Indè paulatim Eucharistia in exiguà haberi cœpit reverentia; Missæ Sacrificium vili fieri: Tempia à locis profanis vix distinguit: ex quo ad graviora factò progressu, Eucharistiam profani homines laicis manibus tractare, ad eam sibi porrigendam, etiam jam pransis, Mystas cogere: eandem hastili affixam pro vexillo, sceleratis cohortibus, in Religiosorum necem proruentibus, præferre: denique non meliùs, quàm simplicem & naturalem panem habere, & per consequens, Tempia omni genere scelerum, spurcitarum, & homicidiorum antè profanata, veluti inutiles Dei Tabernas (ità enim nebulones Ecclesias appellabant) pessumdare, & solo æquare. Eundem penitus habuit progressum Lutherana, & Calviniana hæresis, quæ à neglectu Divinorum, & maximè Eucharistiæ vili æstimatione (omnes enim eorum temporum Historici testantur, usum illius ità viluisse in Germania, ut vix in anno semel adiretur) eò hodie progressa est, ut cum à Luthero, primisque ejus discipulis, utcunque adhuc in honore haberetur, adeoque etiam
illius

illius elevatio, & populo ad adorandum ostensio retineretur, hodie tamen, ut nullus eius cultus & veneratio exhiberi possit, negatur ab iisdem, in Sanctiss: Sacramento, nisi intrâ ipsam actualem sumptionem: Christi præsentia. Unde si quid residuum panis aut vini à consecratione fuerit, perinde ut profanum ad mensam communem ebibitur, vel in terram effunditur; & panis residuus si etiam canis obiciatur, religioni non ducitur.

S. Chrysostr. hom. 17. ad Pop. de causa eversi Templi Hierosolymitani agens, non aliò ejus excidium, quam ad similem Judæorum, Templum illud augustum profanantium impietatem, refert. *Quod est, ait, omnium civitate venerabilius Hierosolymitanum Dei Templum, in quo Sacrificia, & Orationes, & cultus, ubi Sancta Sanctorum, & Cherubim, & Testamentum, & Phylax aurea, magna indicia Divina circa genus illud Providentia, ubi oracula supernè continuè ferebantur, ubi non humana artis apparatus, sed Divina sapientie expressio erat, ubi multo parietes undiq; fulgebant auro, & supra omnem modum, cum materia species pretiosissima, cum artis diligentia, singulare Templum fuisse demonstraverunt. Verumtamen Templum tam pulchrum, & mirabile, & sanctum, utentibus ipso perditè, tanta ignominia habitum est, sicq; contemptum*

Et profanum redditum, ut ante captivitatem
 quidem spelunca vocaretur latronum, Et spe-
 laum hyena; post hac vero barbaricis, Et im-
 mundis, Et profanis manibus traditum sit.
 Minatus id pridem antè per Jeremiam fuerat
 Judæis Dominus, quando abominationibus
 eorum in Templo exercitis offensus, protesta-
 tus est. c. 7. Ergo spelunca latronum facta est
 Domus ista, in qua invocatum est nomen me-
 um in oculis vestris? ego, ego sum, ego vidi di-
 cit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, ubi
 habitavit Nomen meum à principio, Et videte
 qua fecerim ei, propter malitiam populi mei.
 Et nunc quia fecistis omnia opera hac, dicit
 Dominus, faciam Domui huic, in qua invo-
 catum est nomen meum, sicut feci Silo, Et pro-
 jiciam vos à facie mea. Patuit id manifestè in
 ultimo Templi Salomonici excidio, cujus
 sanctitas cum in tantum apud Judæos viluif-
 set, ut perinde illud, sicut Domum profanam
 haberent, audita est, teste Iosepho, iteratò
 vox ab intimis Sancti Sanctorum adytis pro-
 diens: Migremus hinc. Non potest enim pro
 Domo sua Templum reputare Deus, si in eo
 habitet iniquitas & impietas. Quò alludens
 Propheta Pl. 64. cum encomia Templi e-
 narrare vellet, pronuntiavit: Sanctum est
 Templum suum, mirabile in equitate. Non
 dixit, inquit S. August. Templum Sanctum

suum

tuum mirabile est incolumnis, mirabile in
 marmoribus; mirabile in rectis auratis, sed
 mirabile in Iustitia. Quæ si cessaverit, & pro
 æquitate & Sanctitate in Templum irreple-
 rit iniquitas & impietas, quasi aliena donum
 & habitatio à Deo reputatur. Sanctificasti do-
 mum hanc quàm adificasti, locutus est Deus
 ad Salomonem 3. Reg. 9. post dedicatum ab
 eo Templum, ut ponerem Nomen meum ibi in
 sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum
 ibi cunctis diebus. Sed adverte positam à Deo
 conditionem: si ambulaveris coram me in
 simplicitate cordis & æquitate, & feceris om-
 nia legitima mea; si autem aversione aversi
 fueritis vos, & filij vestri, non sequentes me,
 nec custodientes mandata & ceremonias, quas
 proposui vobis, Templum quod sanctificasti No-
 mini meo, projiciam à conspectu meo, & domus
 hac erit in exemplum; omnis qui transierit
 per eam, stupebit & sibilabit. Quid enim
 Deo cum splendore & magnificentia terreni
 ædificij? non Excelsus in manufactis Templis
 habitat, dicebat S. Stephanus Act. 7. ad
 impios Iudæos, sicut per Prophetam dicit (Isai-
 am scilicet c. 66.) quæ est ista Domus quàm
 edificabitis mihi? Et quis est iste locus requie-
 tionis meæ? non est ullatenus accommodata
 habitationi Dei, nisi instruatur pietate, &
 devotione eam invisentium; unde etiam con-
 tinuè

riouè subditur: *ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremementem sermones meos?*

Verùm non terrena solùm & materialia Templà subruit, hæc Sacris & Divinis astantium irreligiositas, sed etiam vivis Dei Templis ultimam parit in hæresim, vel atheismum, ruinam. Qui enim Sacris languidè primùm & oscitanter interesse cœpit, sensim irreverenter, mox petulanter, tandem impiè etiam adesse perget; exinde nec lasciviam oculis & scelera, mente patrare: ultimò neque nutibus & tactibus eadem admittere exhorrescet, ad ipsa infanda facinora descensurus, nisi solus hominum absterreret respectus; ad quæ tamen in hac ipsa Boëmia, per similem gradationem devenerunt turpissimi Adami-tæ, in ipsis Templis pro coronide Divinorum, nefandissima patrare soliti. Hæc inter animus sensim hebetatus, primùm obiter & perfunctoriè Deum in Eucharistia adorare, tum vix eam, ac ejusdem elevationem advertere, coram ea perinde, atque coram pane communi agere incipit: mox subinde de Christi in ea præsentia remissè sentit, nonnunquam subdubitat, fidem usque eo languidam servat, ut ad minimum quemvis insultum, Principis nutum, terreni emolumentis spem, aut honoris incrementum eam de-

posi-

positurus sit. Hinc nempe est, quòd seculum nostrum tantas in Religione videat mutationes, sicut eadem Provincia modò Lutherana, mox anno sequente Calviniana, tertio Calixtiana, sive syncretistica, ac iterum quartò Lutherana, jam mollis, jam rigida, ad unicum Principis nutum evadat; & si idem iusserit, omnem Divinitatem & Numen ejuratura sit. Hinc etiam est, quòd nec vel unicus reperiat, qui vitam potius & sanguinem, quàm fidem suam dare paratus sit, quemadmodum in primitiva Ecclesia multa millia Martyrum mori potius, quàm aliter credere eligentium, reperiebantur. Causa videlicet est, in cultu Divino, Templis, & Rebus Sacris remissio, Eucharistiæ, in qua tamen verum Deum adesse fatentur, nulla reverentia & æstimatio. Unde facillima rationi humanæ gradus est, ut ex eo, quia nullum Divinitatis indicium sub ea advertit, & aliunde ad eam sibi per vivam & ardentem fidem persuadendam, nullis heroicis & ferventibus Religionis & piæ Affectionis actibus connititur, ut inquam, concludat, fortè Deum non esse in Eucharistia præsentem, rem esse incertam, parùm indè referre, quicquid super hoc credere voluerit. Quomodo enim amabò possibile est, ut illi Deum præsentem adesse seriò credant, qui tam insulse

in ejus conspectu agunt, garrunt, nugantur? qui nec eum, quem Amico æquali, servant respectum? Quis fieri potest, ut Deum sibi aliquem verè persuadeant, qui actiones ad eum colendum destinatas, vertunt in theatra? in gesticulationes mimicas? in histrioniam? certè qui talia agunt, aut insani, & mente capti sunt, aut minimè Deum sibi persuadent, scandalo, vel à Turcis notato & irriso. Cùm enim aliquando Legatus ad Portam à Principe Catholico redux, postularetur, quid miri inter Christianos vidisset? reposuit, illud sibi præcipuè mirandum, an ridendum? visum, quòd Christiani panem quendam rotundum, quem Deum suum credere se dicerent, ità inhonorè & irreverenter haberent, ut in præsentia ejus nec ea vitarent, quæ in conspectu Principis sui agere erubescerent. Subindè etiam cum magna pompa per urbem eum deportari dicebat, & interim tam inconditè à plerisque confabulationes, risus & nugas cieri, ut ad traducendum, & histrionicè illum illudendum pompam instrui diceres. Sibi proinde certissimò persuasum, neutiquam à Christianis sua Mysteria & Deum credi, alioqui enim insanos penitus, aut scelestissimos, & ultimis suppliciiis mactandos esse, qui Deum suum tam inhonestè traxerant.